1,
2, Discursus contemporaneus.
3, Considerationes monetales.
4, Kurtze und eigentliche Deduction
5, id. latine
6, Deductio rei monetalis
7, Discursus de re monetaria.
8, Epistola mercatoris.
9, Dowod iawny etc.
10, Unvorgreifliche Gedancken.

DISCVRSVS CONTEMPORANEVS

De

Causis aucti valoris monetarij

IN

REGNO POLONO

Pro

Innocentiâ officinæ Regiæ

&

Redituum publicorum indemnitate.

[:]

ANNO

ꝏ IↃ C XXXVI.

CVm de reducendo monetæ valore variis hic isthîc rumusculis certatur, solemne fere id fieri experimur; ut limites dicendi negotij prætervecta acerbitas in incudem monetariam audentiùs insurgat: atq; ita verò de mutato nummi pretio sermocinetur, ut quæ extrinsecùs eidem obvenêre, ac aliunde, in ipsas monetæ fabricas ac officinas conjiciantur. tanquam si nulla esse possit nummi inquietudo, nisi ex illo loco, in quo cudi is solet, ac formari. Qui uti error est nimiò immitis, atq; in eos præsertim, qui cudendæ monetæ per officinas publicas inspectionem sustinuerant, ac disciplinam, magnopere iniquus; ita temporiùs cohibendus; priusquam fidem criminationi faciat tempus, aut inepta credulitas vulgi. Quemadmodum enim & multi & diversi casus aliquid sibi in pecuniam quandoq; vendicant: ita quam maximè quidem nummi valor alienæ expositus est fraudi, ac cupiditati. Sicuti vel ijs potissimè in locis, ac urbibus, quæ mercatores alunt, deprehensu nemini potest esse difficile, qui paulò diligentiùs attenderit ijs, quæ pervulgatò geruntur.

I. Primo enim à naturâ penè ipsâ quemque eò ferri videmus, ut rebus ac possessionibus suis, quàm possit fructuosissimè utatur: sive in mercibus eæ consistant, ac fundis; sive in pecuniâ numeratâ. Ex quo nemo omnium novi quicquam sibi visus est rebus humanis, aut communi eorum, qui negotijs suis rectè præesse volunt, instituto adjicere, si vel nummus etiam, justè quæsitus, adscititij cujusdam lucri augmento, & cum fors aut occasio ferat, supra veterem æstimationem expendatur. Quin cum non contemnendæ solertiæ speciem, apud æruscatores nummisugos, opinio ea semel induisset, nulla amodò explendæ istius cupiditatis media aut instrumenta videri poterant indecora:

 II. In-

II. Inprimis verò Debitorum aperta quædam increbuit audacia in elevandum monetæ valorem. Cum qui æs suum repetunt, haud facilè id, quod exigunt, consequuntur, nisi Thalerum, vel Aureum, & si quid simile sit monetæ, grosso ampliùs unô aut alterô æstimatum obtrudi sibi patiantur. Id quod minori quidem periculo hi ferre se posse credunt, quàm ut prorogatione novâ incertæ aut tardæ solutionis alea subeatur. Neq; profectò infitiari licet, tantoperè blandum id petulantiæ genus placuisse, ut confestim omnes, cum uni aut alteri ex voto cessisset, invaserit Debitores: sicuti plerumque prompta est in vetitis, in lucro etiam præceps imitatio.

III. Deinde & ipsi quoq; Creditores, qui recenti obtrusæ monetæ augmento per nundinas & commercia luserant, suas respexere vires. neq; deterioris voluêre conditionis esse, quam fuerant Debitores; vel potiùs piguit esse melioris fidei, aut animi vilioris: postquam aliorum conatus, ad libertatem vel licentiam receptos publicæ negotiationis consensus videretur approbasse. Atq; ita post vagam & implicitam geminæ malignitatis colluctationem singulis annis, vel etiam citiùs tardiusvè, moneta in novum subinde augmentum intravit.

IV. Sed & major quæpiam vis admota: & ab immani isto flagitio, quo meliores ac ponderosiores nummi, iniquissimis simbellæ compendijs excerpti, in confines & exteras regiones exportari consuevêre, monetæ valor subinde fuit extensus. In Regno præsertim Polono. Quod cum in tantâ argenti, aliarumq; rerum omnium incomparabili affluentiâ, meliore ac præstantiore perpetim uteretur monetâ, quam vel ulla alia regio contermina, aut confinis; felicitatis suæ propediem reperit insidiatores. Qui tantæ ubertatis commoditati-

bus illecti, omnes huc intendêre vires, ut fertilissimi regni divitias callidis ipsi interciperent artibus, ac blandimentis: probâ omni, veteriq; monetâ foras exportatâ. Neq; dubium esse potest, quin ea improbitas totum subactura fuisset Regnum, nisi providentia Regia, Regniq; constitutiones, antequam scelus omne exequeretur, oppressissent. unde spes affulserat non-incerta, optatas tandem ab iniquitate & inquietudine istâ ferias conventum iri: atq; nunc tandem argentum Sarmaticum ab hirudinibus ac mangonibus istis fore tutum. Cum præsertim ipsarum etiam civitatum Magistratus, atq; imprimis maritimi Gedanenses omni in id incumberent laudabilis solertiæ, ac vigilantissimæ animadversionis genere, ne quid istorum intra pomœria sua delinqueretur. Sed maximam partem frustrà, & in cassum! quia totiens id rediret malum, quotiens proscriberetur: excisum repullularet; sublatum revivisceret: Regni etiamnunc litoribus ac terris oberrans.

V. At ne verò uno fraudis aut furti genere Regni perirent facultates, nequities porrò accessit alia: & in locum præstantissimæ monetæ suffecta deterior, ac peregrina. Eóq; tam callido permutationis aut emptionis commento Polona moneta, omni aliâ melior, non absorpta solùm, sed & aucti valoris intemperie tanto infecta fuit astu ac æstu, ut nemo, nisi de facilitate & imprudentiâ suâ conqueri potuerit, tametsi nefario scelere circumventus esset.

VI. Quin & ita populo, ex ipsâ commerciorum consuetudine, placuisse videmus, ut cum apud exteros Polona moneta tanti fieret; in ipsâ etiam Patriâ majori æstimiô inciperet frequentari. transitura alioquin in amplexus ac desideria peregrinorum.

Eo nempè modo, eâq; factum fuerat ratione, ut in Regno Sarmatarum subinde accresceret monetæ preti-

um, ac valor. Quæ qui in incudem monetariam, alibi nata productaq;, referre amodò annitatur, nimis is profectò contumaciter errârit. Cum præsertim nemini possit esse ignotum, quiescentibus Officinis, nullóq; nummô cusô, æstimationi tamen ac pretio monetæ quæpiam obrepsisse incrementa: Thalerô à grossis triginta sex, ad grossos usq; quadraginta duos elato. Id quod utiq; eô tum tempore evenire non potuisset, sin in officinis monetarijs posita ea sit inquietudo. Quam istæ omnibus potiùs modis ivére præcautum: hoc fine, eóq; consiliô ad operas publicas redire jussæ, ut & desultorius iste nummarij valoris ascensus cohiberetur; atq; peregrinæ una simul monetæ illuvies à finibus Regni hoc ipso excluderetur, sicubi Patriæ ac nativæ esset satis. Quæ quam proficua ac necessaria hucusq; Poloniæ fuerit Regno, vel solæ eæ certissimo indicio esse possunt sollicitæ consultationes, quas de resarciendo minutioris pecuniæ defectu passim agitari videmus. Vtut nimis fortè festinatô, aut præcipitanter. Quippe quod non tam dolo erepta esse videatur Regni commodis pecunia minuta; quam pavore quodam plebejo sequestrata, sepositavè ad tempus: usq; dum nempè de pretio Thaleri, cui passim metuitur malè, Comitiorum eventus, certiora nunciet, &, quod speratur, meliora. Quemadmodum enim nec ullâ hoc tempore urgemur causâ, cur de augmento aut pretio monetæ magnopere quiritemur: neq; in omni sit monetæ aut valoris monetarij incremento, quod culpam habeat, aut noxam: cùm & olim prodesse regno ea visa fuerit necessitas, compingendæ retinendævè intra Regni limites ubertati: Ita isti etiamnum, sin quod est optimum velimus imitari, firmiter adhærere oportebit valori, quem vel casus, vel rei ipsius natura monetæ Polonæ non ita pridem adscripsit: populô non solùm non invitô; sed & eâ etiam de causâ tantô prom-

promptiùs assentiente, quod una cum nummo merces quoq; ipsas, & quicquid habebatur in bonis, paria indu-ere persentisceret incrementa: nemoq; omnium reperiretur, qui facultatibus suis quidquam decessisse affirmaret, quia valor insurrexisset monetæ.

Nisi quod reditus & proventus publici, sive etiam stipendia, & census annui privatorum, aucto auri & argenti pretio, ad eam penè nunc redacti intellegantur tenuitatem, ut pigere tandem possit intensi valoris: totiens ob id damnati. Sed cui ista tamen, ut quid sit rei brevibus expediamus, calamitas nequaquam imputanda: quin eorum potiùs, qui publicis rebus diligentiam suam addixerant, conniventiæ, aut procrastinationi. Qui si jure ac autoritate suâ uti hucusq; voluissent, facilem habuerant viam tuendi ab augmento monetæ census. Cum & rationi naturali, & æquitati, & juri scripto omninò cōveniens id sit, & indubitatum; in ea monetæ bonitate reditus & proventus publicos, sive census annuos exsolvendos esse omninò, præstandosvè; quæ eo tum tempore fungebatur, cum definirentur. Idvè ob has, quas hîc subnectere allubuit, rationes.

1. Quia in negotio ac constituto omni mens ac intentio agentium unicè inspicienda; atq; vel ipsi etiam verborum conceptioni præferenda. Quæ cùm de proventibus publicis, ac censu annuo constitueretur, alia esse non poterat, quàm ut eo monetæ genere aut fructu, qui istius tum fuerat temporis, publica ista debita exsolverentur. cum præsertim posteriorum temporum augmenta ne cogitando quidem assequi liceret: multò minus de eâ constitui monetæ qualitate; quæ & incerta eo usq; dum tempore erat, & in rerum naturam necdum ingressa.

2. Quia expediti omninò, ac certi est juris, talem nasci obligationem; quale est formale pactionis; id est, agen-

agentium consensus. Qui cum non ignorantium, multò minus errantium, sed verò scientium sit, & intelligentium; dubitare non licet, ad eam reditus publicos, ac census annuos pecuniæ qualitatem, ipsâ rei gestæ naturâ, fuisse definitos, quæ eo tum tempore functionem habuerat, ac usum.

3. Quia pro constituto id perpetim haberi jura volunt, quod vero similiter responsurus fuisset, de eo interrogatus. Atqui nemo ambigere integræ mentis posit, sin eo tum tempore, cum reditus publici definirentur, de futuro monetæ augmento casus propositus fuisset; haut adsensuros incertitudini, quin de obviâ seu præsenti monetæ bonitate strictim responsuros fuisse eos, qui censuum publicorum susceperant partes.

4. Quia & ipsa palàm ostendit ratio naturalis, haut sanè ad ea, quæ futura ac in incerto fuerant, sed quæ ante pedes, quod dici solet, posita nihil quicquam habuerant incerti, redituum publicorum rationes fuisse redactas. Nec turbandas adeò, aut incertitudini ulli ab accidentario monetæ augmento exponendas.

5. Quia quod semel certum ac firmum esse placuit, ex post facto incertum fieri non posse, IurisConsultorum regulis docemur. Est autem obligatio ad pecuniam tam certa, ut nulla videatur certior. Quod qui paulò diligentiùs pensicularit, ultrò fateri cogetur, non debuisse reditibus publicis fraudi id esse, aut detrimento, quod monetæ noviùs evenerat, & ex accidenti.

6. Ita porro interpretari oportet actus omnes, ut neutra pars defraudetur; quin utriusq; par ratio habeatur. Cui tam benigno ac æquissimo juris præscripto planè contrarium fuerit, ac adversum, sin qui reditibus publicis obstringuntur, mutati valoris incremento uti frui permittantur; atqui publicis verò usibus ac fructibus tantundem ex adverso detrahatur.

7. Quia

7. Quia secundum naturam esse constat, ut qui lucrum sentit, etiam oneri ferendo obligetur. Certum autem est, & agros, & fundos, & res quasvis censuales seu proventuales tantuplùm majora ac ampliora reddere lucra, quantum, aucto monetæ valore, pretijs accessit rerum. ut meritò adeò redituum publicorum integritati ac indemnitati ex ipsâ rei naturâ obligentur, qui lucro id habent, ex quo proventus ac census annui præstandi fuerant, ac exsolvendi.

8. Quia favorabiliores ejus semper sunt partes, qui de damno vitando agit, quàm qui de lucro captando laborat. Atqui id verò redituum publicorum debitores, cum monetæ incrementa suæ accommodant utilitati, apertè agere videmus, ut quantum ipsi eâ ex causâ lucrantur, tantùm reditibus publicis decedat. Quæ profectò major est iniquitas, & in commoda publica crudelitas longè acerbior, quàm ut tolerari amodò debeat, aut posit.

9. Neq; porrò leve est, quod reditibus publicis ex eâ causâ infertur damnum: sed verò enorme admodùm, & ultra dimidium justi excessivum. Quæ cum quandam doli speciem induere videatur tam procax, & tam enormis læsio, sananda tandem fuerit, & ad justitiæ ac æquitatis stateram revocanda.

10. Quia communiter id evenire videmus, ut cum in res censuales aut proventuales fortuiti grassantur casus, æquitatis quædam ratio admittatur. Quæ nec ipsis adeò etiam reditibus publicis, aucto per casus improvisos monetæ valore, invidenda.

11. Quia aliud pro alio invito solvi creditori non potest. Id quod verò, præter fas & æquum, palàm ij facere deprehenduntur, qui cum prisci valoris monetam superiori tempore præstitisent, postea aliam mutati valoris, ipsis etiam, quod longè est iniquissimum, reditibus publicis ingerere non erubuerunt.

12. Nam

12. Nam nec vinum novum pro vetere reddi posse, Pomponius ICtus rescripserat olim. ut tantò minus in locum valoris prisci, id quod monetæ noviter evenerat, surrogari permittatur.

13. Demum & jure Canonico expressè id constitutum ac definitum legimus, ut census annui in ea solvantur qualitate ac bonitate, quę tempore constituti census, aut proventuum publicorum, functionem habuerat, ac usum. Ita Innocentius III. censum trium Papiensium denariorum solvi quidem in denarijs Lucensibus jussit, qui in locum Papiensium successerant: sed ut solutio ad æstimationem Papiensium denariorum redigatur. c. olim causam. 20. ext. de censibus. Similiter Gregorius IX. debitum in priori monetâ exsolvi voluit: aut si ea amplius non sit in usu, æstimatione nummismatis antiqui. c. cum Canonicis. 26. ext. eod.

Ne de alijs porrò heic rationibus addamus; quarum copiosissima suppetit messis: & è quibus perquam constat manifestò, multò esse obfirmatiora redituum publicorum jura, quam ut ullâ nummi inquietudine imminui debuerint, ac defraudari. Quemadmodum & res domi, forisq; gestæ [ut ad id, unde digressi fueramus, revertamur] & tempora tota pecuniariæ vicissitudinis, Regiæ ac publicæ officinæ existimationem, ab eâ, quâ inculpari consuevit, criminatione facilè vindicant, & quam masculè tutantur. Quippe quod prima initia mutationis, & proximi successus, in notissimam & manifestissimam officinæ inciderint quietem. Vlterior verò progressus, ac prorogatio, foris cæpta, & aliunde varijs temporibus, tractibusq;, à vario hominum genere immissa fuerit, ac invecta. Quæ si expendi, admittiq; ad se momenta rerum humanitas, æquitasvè patietur, verendum non fuerit, ut ulla vel integritas, vel innocentia quidquam posthac inhumani subeat aut

iniqui,

Hist. Polon.
a, general.